


Ego vermiculus, quae fortuna advorsa obteror,
 Ante pedis tibi iaceo. Exaudi me, ne sinas
 Me desperare. Audite me, magni di! Regule,
 Audi me. Heu, me desperare ne sinas!
 RE. Exsurge sis, Atilia. — AT. Totam me pedibus obtere.
 RE. Bodostor te adspicit, esto Romana femina;
 Exsurge sis, Atilia, resurge, te rogo.
 Edepol meum vehementer afflictas animum.
 Ego plus hercule speravi amore de tuo.
 MU. Pater irascitur. — SE. Quem rigidis nos intuetur oculis!
 MU. Serani, ego timeo. — RE. Itidem fuit, quom iturus fui
 In castra foras et gnati stabant circa te cum lacrimis;
 Ac sentiebam, quid hic Romae et quos relinquerem.
 Etiam nunc hoc sentio ex animo, dico per Iovem.
 Iam tum sic exclamavi: Scio pol esse, quis istis consulat;
 Animo sedato Roma sum digressus et quoad
 Ocelli mei celsum conspiciebat Capitolium,
 Haec una me consolabatur cogitatio:
 Manet hic mater, quae meos curaret filios.
 Sed etiam hoc sensi, quom primo tuba clangeret.
 Si multo post rediens te matrem inter gnatos inveneram,
 Magna cum laetitia tuis inieci collis bracchia.
 AT. Ah res nunc est aliter et, sicut scis, atrocius.
 RE. Iter iam longum intro, unde nullus redditus datur.
 Verumtamen ne nunc quidem non minus spei habeo.
 AT. Ne dicas amplius. — RE. Nunc quoque gnatorum tibi
 Praemandeo fortunam. Quom in campis Elysiis,
 Atilia, non inter nos russum videbimus,
 Sic ad te clamabo: spem non fefellisti meam;
 Bene curasti filios. — AT. Rogo te per Iovem,
 Ne a me cupias, quod facere non queo.
 RE. Pol multum debeo tibi; fac nunc uxoris ultimum
 Officium. Calores una mecum passa es fideliter,
 Num vesperi, quom iam meae vitae sol occidit
 Oculique obscurari incipissunt, ex tuo sinu
 Dimittere me possis? Istuc, credo, tu non facies.
 Eheu, exaudi me, verumst, quod nunc dicturus sum:
 Ni matrem cum gnatis esse scio, nullum erit mihi Elysium.
 Veni sis, Muci, bracchia collo matris iniice;
 Et tu, Serani, poplites eius completere;
 Mollite matris animum, qui saeva tantum amaritudine
 Obduratus et orate, ne vos misellos deserat.
 MU. Eheu mater! — RE. Quid, si vos ista quoque deserat?
 Ego tibi, coniunx, summissus supplico.

(Ad proximum numerum)



Pauca exemplaria reperta sunt

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae, cui
titulus:

EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1
apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI Mile-
siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea
facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)


Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE col-
lectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab
ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vec-
chio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod
bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV

Romae, Mense Novembri MCMXXXVII

Fasc. XI



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas
lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem
Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA¹

CODICES PRIORES SAEC. XVIII.

In Italia, quamvis aliena semper fuerit
ab astrus subtilitatibus philosophicis,
quibus libentius indulgere alii populi vi-
dentur, nihilominus iuris naturalis princi-
pia, ea moderata forma, qua traditio ipsa
italica protulerat, asseclas nacta sunt praec-
laros, Beccaria, Filangerium, Spedalierum,
qui hortatu Pii VI Pontificis in libro
de hominis iuribus (italicice *Dei diritti dell'uomo*) evincit ius esse populo cuilibet,
salvis certis limitibus, constitutionem aptio-
rem suae indoli sibi dandi, ideoque offici-
um esse principis huic populari motui
favere, politica adiuncta cum historicis, et
praesertim cum religione amice compo-
nendo; Romagnosius denique omnia com-
plexus est conclusiones et principia. Non
dixerim omnes immunes a quolibet errore
aut erroris umbraculis semper fuisse; at
profecto schola italica recedit minus ab illis
iuris naturalis aeternis principiis, quae ex
S. Thoma, immo ex universa catholica do-
ctrina et historia, acute postea deduxerunt
atque sapientissime nostri Rosminius et,

¹ Cfr. fasc. sup. mens. iulii.

prae omnibus, Taparelli d'Azeglio; uterque
summus, licet alter alteram videatur se-
quutus viam. Quod si Rosminii proposicio-
nes quaedam ab Ecclesia damnatae fue-
runt, diffidendum tamen non est, easdem
non desumptas esse e tractatu iuris natu-
ralis, in quo omnia sapienter dicta viden-
tur. Quibus omnibus et rerum adiunctis et
sapientum adhortationibus reges ducesque
Italiae novis apparandis codicibus animum
applicuerunt.

In Pedemontio, post collectiones Decreto-
rum et Statutorum, editas a Petro II, Amaedeo IV et Amaedeo VIII (MCCCCXXX),
successive deinde emendatas usque ad
«Decreta Sabaudiae ducalia tam vetera
quam nova ad iustitiam et rem publicam
gubernandam», aliae prodierunt auctiores,
tum privatae cum publicae, iussu, verbi
gratia, Emmanuelis Philiberti (MDLX), Ca-
roli Emmanuelis I (MDCXV), Victorii Amae-
dei I (MDCXXXII); quibus omnibus praestat
collectio Victorii Amaedei II (MDCCXXIII et
in repetita preelectione MDCCXXIX); quam
Carolus Emmanuel II auctam et emenda-
tam denuo promulgavit anno MDCCCLXX.
Eadem exstitit veluti omnium in Italia
exemplar, et in Pedemonte vigebat adhuc
saeculo ineunte XIX.

In Neapolitano regno post collectionem
Normannam, c. t. «Assisiae regum regni
Siciliae» (saec. XII), auctam deinde a Fri-

derico II editis « Constitutionibus regni Siciliae » (MCCXXXI), cui accessit, in parte tantum Neapolitana, collectio privata Capitulorum Angiovinorum, et alia item privata de iure processuali (*Riti della Gran Corte et Corte di Vicaria*) ac de iure fisci (*Riti dei Maestri razionali*), atque, pro regno Siciliae, post pragmáticas et capitula, quae collecta sunt privatim a pluribus, usque ad eam, quam iussit Ferdinandus III e Borbonica gente, et curavit De Blasi (Panormi, MDCCXCI-XCII), maxime expetebatur collectio nova et exclusiva. Hanc iussit Philippus III et paravit Carolus Tapia, sed Imperator ratam non habuit; Tapia vero eam privatim edidit titulo « Ius Regni ». Aliam iussit Carolus III, et Ciriillus comparavit, non meliore omne; nam privatim tantum edita et ea est anno MDCCCLXXXIX. In aliam intendebat Ferdinandus IV, quae a rebellionis motibus intermissa est.

In ditione Pontificia extra Corpus Iuris Canonici et Bullaria vagantes leges collectae fere non sunt, si collectionem Aegidianam an. MCCCLVII exceperis. At ius romanum, quod heic nunquam non viguit, et statuta locorum fere satis erant, nec expetebatur nova generalis collectio.

In Veneta Republica, ubi permultae leges erant, post Statuta Tiepoli an. MCCXLIV, cui alia plura accesserant, collectio nova edita est titulo « Methodus legum Venetarum » (MDCLXXVIII-LXXXVIII) et postea « Leges criminales » (*Leggi criminali*) anno MDCCL et quae navigationem respicerent (*Codice per la Veneta mercantile marina*), anno MDCCCLXXX: alia iussa fuit anno MDCCCLXXXIV, sed evanuit.

In Mediolanensi ditione, post Edictum Langobardorum edita sunt « Statuta nobilissima Communalia », dein aucta legibus et Decretis datis a Dominis. Collectionem desideravit Franciscus Sforza, sed perficiendam reliquit Carolo V, qui eam edidit an. MDXLI, titulo « Constitutiones dominii

Mediolanensis ». Alia, sed privata, prodit anno MDCLIV, inscripta: « Antiqua Ducum Mediolanensium decreta »; cui, sub Hispanorum et Austriacorum dominatione, accessere « gridarum » collectiones, « Gridariae » nuncupatae. Exornata quoque est collectio decretorum senatus nomine: « Ordines excellentissimi Senatus Mediolanensis » anno MDCLIII, et alia deinde; quae omnes usque ad saeculum XIX viguere una cum iure communi et cum codice, quem iussuerunt Maria Theresia et Iosephus II imperator, titulo: « Codex Iosephinus » (*Codice Giuseppino*), an. MDCCCLXXXVI edito.

In Etruria, post Statuta Florentina et Pisana, latae sunt leges lataque decreta complura, praesertim postquam Mediceis Lorenenses successere. Collectionem curavit Tavanti (leges latae ab an. MCDLXXI ad annum MDCCXXXVI), et Cantini (ab anno MDXXXII ad annum MDCCCLV). Novam Franciscus Lorenensis anno MDCCXLV curandam commisit Pompeio Nerio, qui vero rem non perfecit. Resumpsit Petrus Leopoldus, qui anno MDCCCLXXXVI codicem poenarum edidit; partem civilem commisit Vernaccinio, Auditori rotali, qui morte praeventus est, neque rem perficere potuit Lampridius (*Lampredi*), clarus in Pisano athenaeo doctor.

In Mutinensi « Ducatu », post privatam collectionem anno MDCCCLV in vulgus editam, Franciscus III Dux anno MDCCCLXI codicem edidit legum et constitutionum (*Codice di leggi e costituzioni di S. A. Serenissima*) una simul coniunctis Muratorianis animadversionibus de renovandis legibus.

Ita se res in Italia habebant, quum Gallica sedicio exarsit, quumque Napoleo suos promulgavit Codices, quos ad regiones a se occupatas deduxit. Hac ratione eosdem Napoleonis codices in pluribus Italiae regionibus (in Pedemontio, in Parmensi ducatu, in Liguria, Lucae et in regno Italico,

in Etruria, Romae et in regno Neapolitano); postea, anno MDCCCX, novi Codices poenarum quoque promulgati sunt in regno Italico, atque deinceps in regno Neapolitano; denique ubique Codices de civili actione et de commerciis, qui viguerunt usque ad Napoleonis occasum, nempe ad restorationem in Congressu Vindobonensi anno MDCCCXIV initam.

SYLVIA ROMANI.

DE FLORUM USU IN PRISCIS CHRISTIANORUM FUNERIBUS

Inter funebres mores, qui ethnicis et Christianis communes extiterunt, fuit et floribus ornandi sepultra. « Christiani — ait Martigny¹ — usum antiquum ornandi floribus foliisque sepulcra adoptarunt ». Re quidem vera nihil in sepulcris Christianis evidenter appetit, ubi tum pista, tum sculpta folia, flores pampini conspicuntur. Inter auctores, id Prudentius praesertim testatur:

*Nos tecta sovebimus ossa
Violis et fronde frequenti
Tumulumque et frigida saxa
Liquido spargemus odore.²*

Et Hieronymus ad Pammachium scribens: « Quod quum ceteri mariti super tumulos coniugum violas, rosas, lilia floresque purpureos spargerent et dolorem pectoris his officiis consolarentur, ipse sanctam favillam — (Paullinae scilicet, coniugis suaे defunctae) — ossaque veneranda eleemosynae balsamis irrigaret, hisque pigmentis atque odoribus foveret cineres quiescentis ». ³ Laudans vero, fortasse praeter modum, Nepotianum: « Hoc idem — inquit — possumus et de isto dicere, qui basilicas

ecclesiae, et martyrum conciliabula, diversis floribus et arborum comis, vitiumque pampinis obumbrabat ». ⁴

Ex his et aliis scriptorum locis, qui facile coacervari possunt, liquido patet Christianos priscos floribus usos esse in martyrum et fidelium sepulcris decorandis, itemque ecclesiis. Qui mos certe ad significationem triumphi alludit; triumphaliter enim putabatur ad sepulcrum martyris corpus deferendum, sicuti de corpore S. Cypriani in eius *Actis* legitur: « Inde per noctem sublatum (corpus) cum cereis et scolacibus ad areas Macrobi Candidiani procuratoris, quae sunt in via Mappaliense iuxta piscinas voto et triumpho magno deductum est », ⁵ et in *Commentariis* S. Ioannis Chrysostomi: « Dic mihi quid sibi volunt istae fulgentes lampades? Annon defunctos tamquam athletas deducimus? Quid etiam hymni? Annon Deum glorificamus, et gratias agimus quod eum, qui excessit, iam coronaverit? Quod a laboribus libera-

¹ Epist. III ad Heliod.

² Verum apud Romanos quoque flores, aut saltem corona capiti defuncti imposita triumphum et praemium significabat, nam in XII Tabularum legibus sic habetur: « Qui coronam paret ipse pecuniaque eius, virtutis ergo ardutor, ipsique mortuo, parentibusque eius, dum intus positus erit, florisque feretur, sine fraude imposita esto ». Quae verba ita Joannes Azor exposuit, ut eae coronae ad funera adhiberi permitterentur, quas quisque vel per se ipse, vel per servos equosque suos virtutis ergo in publicis ludis certaminibusque sibi peperisset; ac si lex dicat, tamquam praemium virtutis victoribus proponantur coronae in sepulcris eorum qui easdem consequuti sunt. Verum ideo praesertim mortui coronabantur, quod pro dis habebantur: « Letho datos — ait Cicero — divos habento (lib. II *De leg.*) ; et in quibuslibet ethnicorum sepulcris verba *Dis Manibus* legimus. Est venustissimum exemplum Romae in vinea quadam familiae Codini adhuc extans: NE TANGITO | O MORTALIS | REVERERE | MANES DEOS; unde illa verba Tertulliani irridentia: « Quid omnino facitis ad honorandos deos, quod non etiam vestris mortuis conferatis? aedes proinde, aras proinde, idem habitus et insignia in statuus, ut aetas, ut ars, ut negotium mortui fuerit, ita Deus est. Quo differt ab epulo Iovis silicernium? a sympalo obba? ab aruspice pollinctor? nam et aruspex mortuis appetet (*Apol.*, c. XIII) ». — Cfr. LACTANTIUS, lib. II, c. IV; S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, lib. VIII, c. XXVI.

³ Dict. des antiquit. chrétien., art. Fleurs.

² Cathemerin. hymn. X, vv. 169-172.

³ Epist. XXVI ad Pamm.

verit? Quod abieco metu eum apud se habeat? Nonne ideo sunt hymni? Nonne ideo psalmodiae? Haec omnia sunt laetantium».

Quod autem de sepulcris, de corporum Martyrum translatione deque ecclesiis, id etiam affirmare licet de exsequiis generatim. Neque in hoc imitationem ullam esse cultus idololatrici dicendam, sed in mentem revocandum est, Ecclesiam, ut lata eius indoles, optima quaeque haud ab se absossa, etiam e moribus gentilium servasse; itaque, si hodie quidem, quum defunctus defertur in loculum, florum coronarumque profusio signum sit aliquando tenuis aut nullius religionis, eo quod improbet, aut saltem minus probet nunc talem usum Ecclesia, hoc tantum disciplinae ecclesiasticae mutationi tribuendum est, quae disciplina illis priscis temporibus multis de caussis, quas ignoramus, id tolerabat quod hodie non plane approbat.

Ceterum etiam in usu florum pro funeribus, apud primaevos Christianos, aliquid erat ita proprium, ut veluti signum contradictionis in disputationibus ethnicos inter et Christianos sit. Vitio enim Christianis vertebatur, quod mortuos suos non coronarent. Tertullianus, exaggerare solitus in omni re quam defendendam aut impugnandam susciperet, ne in vita quidem coronari cuiuslibet Christiani caput licitum putabat.

Notum est quomodo auctor hic militem quendam legionis Augustae summis extulerit laudibus, qui, aliter atque sui commilitones, se, coronam manu gestantem, non quidem in capite, praesentavit ad recipiendum donativum.⁶ Hoc circa annum CXCIII evenit, et valde probabile est, tam eventum (a militibus commitionibus ut intempestivum reprehensum), caussam

vexationum in Christianos milites Africanae provinciae fuisse.⁷

Ab anno enim CXCIX, haec erga Christianos milites huius provinciae mitius et indulgentius tolerandos agendi ratio, quam propter iamdudum tranquilli vivere potuerant, adhiberi desiit; Tertullianus autem hinc occasionem arripuit scribendi ad fideles in carceribus detentos opusculum, cui titulus *Exhortatio ad Martyres*, illos Martyres designatos vocans ad similitudinem consulum Romanorum, qui designati dicebantur post electionem antequam munus adirent. Verum, ut Tertulliano satis fieret, coronam aliter portare sufficiebat; miles enim ille, inter commilitones (utique Christianos, neque paucos) iuxta Tertullianum ideo solus Christianus apparuit, quod solus libero capite, corona in manu otiosa donativum receptum prodiret. Quin omne flagitium cessabat, si quis ex humero coronam pendente habebat: «Erubescite, Romani commilitones eius, iam non ab ipso iudicandi, sed ab aliquo Mithrae militi. Qui quum initiatur in spelaeo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obvia manu capite depellere, et in humerum si forte transferre, dicens Mithram esse coronam suam. Atque exinde nunquam coronatus».⁸

Verum, etiam exemplo hoc militis neglecto, id pro certo habendum est, coronari viventes generatim pro actu idololatrico tunc temporis aliquatenus esse habitum.⁹ Diximus autem «generatim», propterea quod, licet legamus in Cypriano: «Diaboli coronam ferre non potuit, corona se Domini reservavit», haud dubium est lo-

⁶ Usuvenerat in Romano imperio, ut quoties novus quis imperator solium primum ascenderet, scilicet *natalis purpureae* recurreret, militibus largitiones fierent; id appellabatur donativum, capite quidem lauro coronato recipiendum.

⁷ De Corona, I. — Cfr. ALLARD, *Histoire des persécutions*, vol. I, pag. 30 sqq.

⁸ De Corona, c. XV in fine.

⁹ «Ipsae denique fores, ipsae hostiae et aerae, ipsi ministri et sacerdotes eorum (scil. ethnicorum) coronantur» (TERTULL., *De corona milit.*, c. X).

cum exceptionibus datum fuisse, ut ex monumentis eruitur.

Iam ad mortuos quod attinet quaestio brevis est, pene dixerim absoluta; nam mortuos coronare idem apud Romanos erat atque deos illos facere. «Coronae — ait Plinius — deorum honos erat, et larium publicorum privatorumque, ac sepulcrorum et manium». ¹⁰ Quod igitur Christiani a mortis coronandis religionis causa sese abstinuerint, id evidentissime patet ex illis verbis, quibus Minucius Felix Octavium ethnico Caecilio respondentem inducit: «Quis autem ille qui dubitat vernis indulgere nos floribus, quum capiamus nos rosam veris et lilium, et quidquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? His enim et sparsis utimur mollibus ac solutis et sertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus ignoscite».¹¹

Atvero saeculo IV exeunte iam manifeste florum usus in funeribus piorum venerationem subibat. Ut rem exemplis illustremus, S. Ambrosius, in morte Valentini Imperatoris sibi carissimi, ita scripsit: «Non ego floribus tumulum eius aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis, nobis lilyum est Christus. Hoc reliquias eius sacrabo».¹² S. S.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS

De pronomine relativo.¹

d) Demonstrativum quod relativo antecedit reticendum est quum utrumque nominativi est aut accusativi. Exprimitur tamen si vis in eo ponitur.

¹⁰ PLIN., *Hist. nat.*, lib. XXI, c. III.

¹¹ MIN. FELIX, *Octavius*, ed. Lugdunen. Batav., pp. 346-348.

¹² De obitu Valentini consolatio.

¹ Cfr. fasc. sup.

EXEMPLA: *Cuius* singularem prudenter admiramur, *eius* stultitiam timere non debemus (CIC.) — Eubulida tantum itineris suscepit, non ut aliquid de bonis suis recuperaret, sed ut, *quibus* oculis cruentas cervices filii viderat, *iis* te condemnatum videret (CIC.) — *Cuius* aures clausae veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, *huius* salus desperanda est (CIC.) — Egens aequa est *is qui* non satis habet, et is cui nihil satis potest esse (CIC.) — Ex quo efficitur ut quod sit honestum, *id* sit solum bonum (CIC.) — Atque haec omnia *is feci qui* sodalis Dolabeliae eram (CIC., *Fam.*, XII, 14) — Male se habet res, quum *quod* virtute effici debet, *id* tentatur pecunia (CIC., *Off.*, II, 6) — *Quod* in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, *id iure* laudabitur (CIC.) — *Qui* nec ipse consulere nec alteri parere scit, *is extremi* ingenii est (TIT. LIV.) — Neque est boni neque liberalis parentis, *quem* procrearit et eduxerit, *eum* non et vestire et ornare (CIC.) — Quid videatur *ei* magnum in rebus humanis, *cui* aeternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo? (CIC., *Tusc.*, IV, 17) — *Quam* a natura vitam accepimus, *hanc* patriae debemus — *Quam* religionem a patribus accepistis, *eam* tueri debetis — *Quam* armis Caesar gloriam sibi pepererat, *hanc* clementia sua auxit — Omnia societatum nulla est gravior quam *ea*, *quae* cum republica est unicuique nostrum (CIC., *Off.*, I, 17).

e) Quando alius est casus demonstrativi, alius casus relativi, plerumque exprimitur demonstrativum; at non semper.

EXEMPLA: Cicero *ea quae* nunc usu veniunt cecinit ut vates (CORN. NEP.) — Mors terribilis est *iis quorum* cum vita omnia extinguuntur (CIC.) — Multi a quo plurimum sperant, *ei* potissimum inserviunt (CIC.) — *Quem* paenitet peccasse paene est innocens (SEN.) — Non sani sunt *quos* ira possedit (SEN.) — Mors terribilis non

est *iis quorum laus emori non potest* (CIC.) — *Cui prodest scelus, is fecit* (SEN.) — Multos timere debet *quem* multi timent (PUB. SYR.) — *Qui ordo servari solet, eumdem tenebo* (CIC.) — Coram, *quem* quaeritis, adsum (VERG.) — Negat sibi ipse qui *quod difficile est petit* (PUB. SYR.) — *Meus animus erit in te tuosque liberos semper quem tu esse vis et qui esse debet* (CIC.) — *Quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam confluxerunt* (SALL.) — Omnia adsunt bona *quem* penes est virtus (PLAUT.) — Semper in civitate, *quibus opes nullae sunt, bonis invident* (SALL.) — Ornamentorum *quod* superfuit in fanis domum suam deportavit (CIC.) — *Quae prima innocentis mihi defensio est oblata suscepit* (CIC.) — Virtus quae venientibus malis obstat, fortitudo; quae *quod iam adest tolerat et perfert, patientia nominatur* (CIC.) — Poëta id sibi negotii creditit solum dari ut, *quas fecisset fabulas, populo placerent* (TER., Andr., I) — Dives est *cui satis est quod habet* — Non semper beatus est *is cui maximae divitiae sunt* — Quidam litteris instituendos *qui minores septem annis essent, non putaverunt* (QUINT., I, 1).

De numero plurali.

a) Latini utuntur numero plurali cum in concretis, tum etiam in abstractis, quando personae aut res reapse plures sunt.

EXEMPLA: *Amicitiae caritate et amore cernuntur* (CIC.) — *Molestiae, laetitiae, cupiditates, timores similiter omnium mentes pervagantur* (CIC.) — Soli ex animantibus nos homines astrorum *ortus, obitus cursusque cognovimus* (CIC.) — Oratoris interest *animos* audientium docere, delectare, permovere (CIC.) — *Boum cervices ad iugum idoneae sunt* (CIC.) — Multa ex bestiarum *corporibus* remedia morbis et vulneribus elicimus (CIC.) — Multi *incommodis* pecunia se liberaverunt (CIC.) — Non est alienum maiestate Dei *casus om-*

nium introspicere (CIC.) — *Laudibus haud minus quam praemio gaudent militum animi* (TIT. LIV.) — *Leonum ora a magistris impune tractantur* (SEN.) — *Vestra, iudices, hoc maxime interest, non ex libidine, aut similitate, aut levitate testium causas honestorum hominum ponderari* (CIC.) — Ambo exercitus, Veiens Tarquinensisque, suas quisque abeunt *domos* (TIT. LIV.) — Verborum *interpretationes* etymologiam appellant (CIC.) — Sunt non nulli acuendis puerorum *ingenios* non inutiles lusus (QUINT. CURT.) — Multi *patrimonia* effuderunt, inconsulte largiendo (CIC.) — Ne in *festinationibus* suscipiamus nimias celeritates (CIC.) — Illi qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt, *corpora iuvenum* firmari labore voluerunt (CIC.) — Ea sit fides publica, ut nusquam tutius sanctiusve *pecunias* posse homines credant (EUTR.) — Multae res sunt eiusmodi, quarum *exitus* nemo providere possit (CIC.) — De itinere *hostium* senatum dux edocet (SALL.) — Romulus sensit non esse opportunissimos *situs maritimos urbibus* (CIC.) — Exalbesco in *principiis* dicendi et tota mente atque omnibus artibus contremisco (CIC.) — (Nymphae) caesariem effusae nitidam per candida *colla* (VERG.) — *Odia hominum, invidiae multitudinis, adventus imperatorum — Amoenitates orarum ac litorum* (CIC., Nat. deor., II, 39, 100) — *Proceritates arborum* (CIC., Sen., 17, 59) — Falsa est querela paucissimis pueris vim percipiendi *quae tradantur* (= quod traditur) esse concessam (QUINT., I, 1) — Unde sequitur labor dictandi aliis *quae transferenda sunt* (= quod transferendum est) (QUINT., I, 3) — Themistocles celeriter *quae opus erant* (= quod opus erat) reperiebat (CORN. NEP.) — Cuntulio *haec* venierunt? (CIC.) — *Quae sanari poterunt, quacumque ratione sano* (CIC.) — Tu animum poteris inducere contra *haec* dicere? (CIC.) — *Haec prodendi imperii romani, tradendae Han-*

nibali victoriae sunt (TIT. LIV.) — Videntur esse *haec paulo faciliora* (CIC.).

b) Concreta in plurali abstractis in singulari quandoque substituunt.

EXEMPLA: *Apud Persas summa laus est fortiter venari* (CORN. NEP.) — Philo instituit alio tempore *rhetorum* praecepta, alio *philosophorum* tradere (CIC.) — Caesar in *Treveros* venit (CAES.) — Eadem vanitas copias *peditum equitumque numerarat* (QUINT. CURT.) — Alexander Philippri, *Macedonum regis, filius erat* — Romulo, primo *Romanorum regi, Numa successit* — Herodes, *Iudeorum rex, crudelissimus fuit* — Clelia, virgo romana, data obses Porsenae, *Etruscorum regi, fellit custodes et inter tela hostium Tiberim tranavit* (TIT. LIV.) — Tyrannus *Cypriorum Nicocreon Anaxarcho philosopho amputationem linguae minitatus est* — *Studia litterarum, ut numerorum ac sonorum, ut mensurae, ut siderum* (CIC., Orat. part. 23, 80) — An ille se, ut Plato, in *musicis, geometria, numeris, astris* con-

teret? (CIC., Fin., I, 21, 72) — Non tu quidem tota re, sed *temporibus errasti* (CIC., Phil., II, 9, 23) — Res (= historiam) populi Romani perscribere (TIT. LIV.) — *Atheniensium civitas* (CIC., Rosc. Am., 25, 70) — Commeatus ex *Sequanis et Aeduis* supportabatur (CAES., Bel. gal., I, 48, 2) — Inde per *Ligures Apenninum* transit (CORN. NEP., Hann., 4, 2) — Caesar exspectabat suis lenissimis postulatis *responsa* (CAES.) — Corpus augere volentibus conductit inter *cibos bibere* (PLIN.) — Utinam *vera invenire possim!* (CIC.) — *Cogitata proloqui non possum* (TAC.) — In *occultis ac reconditis templi* (CAES., Bel. civ., III, 105, 4) — *Philosophorum* ita percepta haberat praecepta, ut his ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur (CORN. NEP., Attic., 17) — Perfacie factu esse illis probat *conata perficere* (CAES., Bel. gal., I, 3).

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

VISIONES RURALES

AUTUMNUS

Etsi nondum hyemis saevae rediere procellae, attamen aestivi lapsa est iam temporis aetas, et nunc iam rubris pomis exuberat annus, maturaerque uvae curvantur pondere vites, quas vigili studio longoque labore colonus abrumpens somnos, toties et sulphure et aere commistis undae roravit, falce et acuta saepius evulsit foetus, altosque totondit frondosos ramos ne umbra tabesceret uva, quam dein sponsa metit, iuvenes validaeque [puellae exportant cistis donec repletur uteque congius, et firmis humeris aptatur aselli, cui non est grave onus, nam si praesentit asellum, obvius it gradus properans et succutit uvam, rudentique invisam voce salutat amicam. Pastor cum pridem sol vere tepebat adulto, pasturas pecudes ad montes egerat altos;

ille pedo innixus celsaque in rupe superstans, distinctus curvo nitidi sub tegmine caeli, dum despectat oves umbrosa in valle vagantes ludentesque exultim infirmis cruribus agnos, illius biforis labris dum tibia pendet) Panos imago Dei est, barbati, capripedisque, qui dum collustrat gelidi pineta Lycae, tentat villosis septena foramina labris atque novos tenui meditatur arundine cantus. At prima autumni vix instant frigora, pastor vocibus ecce gregem compellat, sibilat, atque advocat ingratum furique, lupisque Molossum, qui pecudum custos vigil est, sociusque labrum pastoris, cui cogit oves urgetque morantes;

et prius ut caelo clarescit nuntia lucis
Aurora, algentem jam deserit Apenninum.
Dumque vias iterat notas, huc vertit et illuc
passus, laetoque ore vale, vale dicit amicis,
laeta voce specus, muscosa salutat et antra;
laeta voce specusque vale, vale consonat an-

[trum.]
Carpit iter, longaeque viae fastidia fallit
sive nova arguta educens modulamina canna,
sive rudi emittens agrestem gutture cantum,
quo nunc pastoris celebrat Lyconis amores,
sacrae nunc Palis enarrat pastoria festa,
seu sponsae gnative docet cognomina sepes.
Vir gregis interdum, duro pendentia collo
aenea lente agitans, signat quo incedere passu.
At cum sol medium caeli iam contigit axem,
tunc et sistit oves viridanti in gramine pastor,
tibiam et apponit sepi, quia cuncta silescunt
dum Pan venatu fessus dat corpora somno;
namque senex Deus est, bili et vexatur acerba,
Capripedisque timent pastores Numinis iram.
Figit humo tripodem, magnumque ex aere le-

[betem]
supponit, quem lacte replet, quod mulserat
[ante;]
excitat inde acres vivaci sulphure flamas,
misceret et assidue; fervens lac bullit, anhelat,
et magnam partem coniecta coagula durant;
ille premit palmis, abiegnar arctatque corona
caseum et addensat pingue, quem fiscina
servat.
Lacteus interea liquor effervescit, at ignis
stipite consumpto paullatim extinguitur, et

[pars]
densa manet, lactis qua fit fiscella recocci;
hoc pueri excipiunt avide, iuvenesque se-

[nesque.]
Interea terras iam prima amplectitur umbra
ultima quae lucis gratissima regna repellit:
Hesperus, aureolus mundi stellantis ocellus,
apparet noctis rutilus praeannuncius, illum
mille faces una comitantur nocte serena,
convexo late fulgentia sidera caelo.
Tunc pastor ramis vicina e sepe recisis
angustamque casam, gleboso et stramine te-

[ctam]
extruit, ut noctu tutus requiescere possit,
si fortasse cadant abruptis nubibus imbris,
seu debacchantum ventorum saeviat ira:
colligit et pecudes, quas circum retia tendit;
excubitor noctis tutatur ovile Molossus,

At primum ut spectat iucundam albescere lu-

[cem],
et iam rore levi gemmantia papula cernit,
excutiens somnum surgit, parvoque labore
retia humo evellit, pecudesque ad pascua

[primo]
sole agit, ut tenerum possint decerpere gra-

[men].
Retia et inde ligat, tripodem, magnumque le-

[betem],
caseum opimum, fiscellas lactisque recocci,
omnia et haec humeris vetuli superaddit aselli.
Atque iterum numerat pecudes, ne devia

[quaequam]
forte lupi audacis, seu furis praeda recumbat,
inceptumque resumit iter fastidia fallens
sive nova arguta educens modulamina canna,
sive rudi emittens agrestem gutture cantum.
At si praegnantes pecudes tunc forte solutae
sint partu, nec adhuc renovent vestigia firma
enisea gremio sobolem, tunc pastor in agro
componit matres tranquillo et gramine molli.
Mox ubi convalevere, replentur et ubera lacte,
tunc is fellantes hoedos agnosque petulcos
subrumat, et saturos fert circum colla ligatos,
sustinet aut agnos humero, gracilemve capel-

[lam],
balantumque greges ad septa sueta reportat.
Illic, laeta, premens infantem ad pectora adu-

[sta]
arridet mulier redeunti fida marito,
cuius cum parvo iam dividit oscula nato.
Vir gregis interdum stabuli prope limina si-

[stit],
et terrae rictum acclinans expectat, et una
acclinant pecudes rictum expectantque; Mo-

[lossus]
ciuitat cevens, dominamque adlatrat et instat.
Occiduo hos tepidis moriens sol lumine iustrat.
Romae.

TITUS BELLATRECCIA.

TUCCIUS amico:

— Parentibus meis filius est, neque
frater, neque soror mihi. Scisne quis sit?

— Evidem ignoro.

TUCCIUS iactanter: — Nonne sum ego?

COLLOQUIA LATINA¹

XXXV

Ludus lapidum orbicularium ad metas.

BASILIUS, CAROLUS, DANIEL, EUSEBIUS.

BASILIUS. — Quid hic sessitamus et mar-

cemos otio? Quin aggredimur ad luden-

dum?

CAROLUS. — Id ipsum in pectore volu-

tabam meo, quomodo hunc feriatum diem

ludis iocisque conderemus, et mirabar te

quiescere tamdiu potuisse, qui lusorum

alpha sis, et qui nunquam aequae beatus

tibi videare quum ludo non des operam.

DANIEL. — Ludamus cum hilaritudine.

EUSEBIUS. — Et quem ludum? Nam ad

victoriam non parum apud me interest;

neque enim trecentis in generibus exerci-

tatum me possum affirmare.

BAS. — Nucibus ludamus, si vultis.

CAR. — Immo pila. Quid ait Daniel?

DAN. — Neutro; sed par impar, idque

aut aciculis aut globulis.

EUS. — Si me audiatis, optimam formam

reperi.

DAN. — Nempe tibi optimam.

EUS. — Et vobis si perite luseritis.

BAS. — Dic, sodes.

EUS. — Iactus lapidum ad conum, seu

metam, probatur mi ante omnes.

CAR. — Qua causa?

EUS. — Usitatissimus est candidatis lit-

terarum; exercet corpus, et casui non est

tam subiectus quam alii; nam artificio quo-

dam contorquendus et emittendus est la-

pis, si gestias vincere: casus vel nunquam

vel perraro te adiuvabit.

BAS. — Fiat. Petamus scopum iaciendis

lapidibus: vos pro se quisque lapides de-

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pragymna-*
smata latinitatis passim retractavit hodiernisque mori-
bus aptavit I. F.

lige; ego hunc mihi rotundando accom-

modabo.

DAN. — Lepides quidem sat multi, at

inepti, at nimis asperi, at magni et inae-

quales.

BAS. — Quin tu me imitaris, ut ego la-

picidam pulchre imitor?

CAR. — Hui; quam elegantem et appo-

situs inveni!

EUS. — Invideo tibi; nihlominus quod tu

a lapide, ego a dextra mea sumam.

BAS. — Adeste oculis: iam ego experiar

meum.

EUS. — Perbene cadit.

CAR. — Metas depangamus. Tu hanc,

Eusebi, ego istam.

DAN. — At enim quot passibus unam

abesse placet ab altera? Quod intervallum

neve nimis breve, neve nimis longum fiat?

Hoc etenim incommodo est debilioribus

illud valentibus.

BAS. — Quindecim passus mei intersint,

nisi aliud videatur.

CAR. — Agendum, metire spatium.

BAS. — Unus, duo, tres, quatuor...

DAN. — Quinam erunt sodales inter se?

EUS. — Mox sciemus. Iacite singuli.

Metae proximi sodales sunt; remotiores

similiter: Ego praeibo; quod Deus bene

fortunet.

BAS. — Sequor.

EUS. — A me stabis: bonum omen victo-

riæ. Daniel et Carolus sociabuntur sibi.

DAN. — Velis, nolis, attigi. Iam tu cede

mihi partes tuas, Basili.

CAR. — Si ab ultimo incipes, patet me

primum fore.

EUS. — Ita est: sodalis meus est Daniel;

tuus, Carole, Basilius.

CAR. — Quotum ad numerum ascenden-

dum censem, ut sit perfecta victoria?

DAN. — Ad septenarium.

BAS. — Ad octonarium.

DAN. — Octonarius igitur sit palmarius.

CAR. — Ecquod praemium dabitur victo-

ribus?

BAS. — Qui victi fuerint victoribus ientaculum solvent.

CETERI. — Honestum praemium.

EUS. — Initium nos facimus: quod felix faustumque sit. Adversarius alter mihi succedit, ne continenter ludamus, sodales.

DAN. — Novimus morem. Ergo lude iam aut tu, Basili, aut tu, Carole.

CAR. — Ecce.

DAN. — Quo pacto tu Eusebium, eodem ego te superabo.

CAR. — Non superasti. Rade metam, Basili, si potes, docte. Duo numeramus.

DAN. — Nunc prior iace, Carole.

CAR. — Bene.

EUS. — Melius.

BAS. — Optime.

DAN. — Quum supremo evasero superior, quid dicam, nisi, bona pace Grammaticorum, optimissime? Iam numeramus unum.

CAR. — Unum numerari qui potest?

DAN. — In cruciatum, sophista. Procedat iactus tertius. Proh! manu fugit lapis; iterum iaciendum est.

BAS. — Non patiemur.

DAN. — Lex hunc ludum ludentium sancxit, ut si quis imprudens iecerit, aut si dimidiatum spatium non transmiserit, resumat lapidem, ac de integro iaciatur.

CAR. — Geramus morem illis: alioqui par pari referent, quod nos mordebit.

BAS. — Lude sursum.

DAN. — Non me poenitet iterationis huius.

BAS. — At iam poenitebit.

EUS. — Ha, ha, cernite, obsecro, quam scite saliat lapis Basili. Excipe socium, Carole.

DAN. — Ohe, lapis tuus, Carole, aemulatur rotam, Quot millia curret? Restas solus, Eusebi. Esto vir fortis. Vici mus. Quantum numerum obtinebamus ante? Heus, Carole, ecquid ternarius potest numerari? Nam paulo ante monas non poterat.

CAR. — Longe abest ternarius ab octonario.

EUS. — Quotum vos adepti?

BAS. — Binarium.

DAN. — Vide mihi hunc, et vince, si queas, Basili.

BAS. — Vincam.

CAR. — Si tu deinceps ita viceris, nos ientaculum perdidimus.

BAS. — Papae! Quantum a meta disto?

DAN. — Est locus, Eusebi; appropinqua.

EUS. — En.

DAN. — Nostra est palma.

CAR. — Nostra est.

DAN. — Nostra est profecto. Quo pignore certas necum, Carole?

CAR. — Tres ligulas, quas optimas habeo, depono.

DAN. — Ego istum torulum de pileo.

BAS. — Circumspiciamus mensuram: vimen, culmum aut tale quid.

EUS. — Ecce mensuram.

CAR. — Metiamur.

EUS. — Fallis, o mensor.

CAR. — Falleris, non fallo.

EUS. — Sine metiar ego.

CAR. — Cape.

EUS. — Videtis nos vicesse?

BAS. — Vix tanto praeceditis, quantum est praesegmen unguis.

EUS. — Et falsum autumas, et parvi refert quanto, dum antecedamus modo: si quidem non is victor declaratur qui valde multum vicit, sed qui vincit.

BAS. — Habetote quod habetis; nos spem necedum eiecimus.

DAN. — Ipsa spes mera est audacia. Incipe, Eusebi.

EUS. — O iactum faustissimum!

BAS. — O infelicem iactum meum! Nisi tu, Carole, doctius ludis, propemodium actum erit de nobis. Nos miseri, iam isti septem numerabant.

EUS. — Io triumpha!

DAN. — En septem; et nunc meus finem dabit. Dedit.

BAS. — Cur?

DAN. — Accurre, adspice, ipsi metae incumbit.

CAR. — Ego deiiciam.

EUS. — Si velle esset efficere. Iecit; nihil promovit. Ientaculum! Ientaculum!

CAR. — Solvemus; ne clama, Stentor.

PAGINA HERDERIANA¹

Praecepta urbanitatis vel De decoro.

Quae in eruditorum hominum conversatione servantur consuetudines partim sunt naturalia signa recte affecti animi, partim nascuntur ex moribus officiisque certorum generum hominum et ordinum. Comparant autem eam actionum decentiam, qui mature verbis atque exemplis ad eas regulas conformantur. Sed ubi illae urbanitates non procedunt ex bene exculto animo, indignae homine manent formularum inanitates.

Praecipiuntur autem quae observemus incidentes in publico, ascendentis in vehicula, accidentes in hospitia, sedentes ad mensam, quae observanda videantur in visitationibus, in invitationibus, in introductionibus ignororum, in salutationibus.

Itaque in publico euntes capessere convenit dextram viæ partem, discedere occurrentibus dextrorum. Dedeget in via monstrare rem digito aut in procedendo cum admiratione aliorum converti. Virum oportet ingredi a sinistris feminae vel eius, cui hunc honorem tribuit personae, nisi forte sic fiat, ut illa vel ille in deteriore

¹ Cfr. fasc. mens. aprilis, augusti-septembris et octobris sup. anni MCMXXXVI.

viae partem detrudatur. Honorem tribuere est posteriorem in currum ascendere, descendere priorem, in automolo curru eligere eam partem, unde descenditur, quae opus sunt convictoribus administrare, in ferroviariis vel electricis curribus cedere locum debilibus personis, aetate proiectibus, feminis.

In hospitalia prior ingreditur vir et deducit feminam ad idoneam sedem. Viri intrantes aperiunt capita.

Ad mensam illud refert, ut nitida assidas veste, puris manibus, puris unguibus, et composita decenter coma. Iusculum ne sumere coeporis prius, quam cunctis hospitibus provisum sit, vel sumere coepit hera; ceteri cibi attinguntur simul appositi sunt. Edendum autem est adducto cubito, non innixo mensa. Cavendum, ne praeter vicinum porrigas manum. Pisces et quae furcinula dividii possunt, etiam mala terrae, non dividuntur cultro, quo utimur tantum ad secundum vel ad onerandam furcinulam. Panem ad mensam non secamus, sed manu frangimus. Volatilium non decet rodere ossa. Pomorum recentium nuclei vola deponuntur; qui in savillo inveniuntur nuclei et piscium spinae deponuntur vel furcinula, vel cochleari. Non sorbillandum iusculum est, dentiscalpio quantum potest abstinentum. Asparagos prehendas digitis, extrema pones in disco. Mappa semel pliata extenditur super gremium. Escaria instrumenta post cibum iunctim collocantur in disco. Sermo habendus cum utroque est vicino. Neque licet inter patinas de allatis cibis verba facere, vinum si est appositum, laudare licet. Non implentur calices usque ad summa labra, neque bibimus quum refertum cibo os est, neque impinguatis labiis. Quum tussis vel oscitaris vola teges os. Neque discedes mensa antequam ab hospite finis cenae indictus sit. Quo facto, cum convivis sine strepitu surgendum est. Catholici precationem mensalem persolunt stantes; ethnici sedentes precantur.

Salutare amicos, si salutationes nihil ferunt molestiae, quolibet licet tempore. Officiosae salutationes reguntur eius, ad quem quis accessurus est dignitate. Multi magistratus ex confectis tabulis nomina legunt eorum, quos oporteat invisere. In quibusdam regionibus, qui salutatum veniunt tantum in trattoria² admittuntur. Et accedimus salutandi gratia in eos circulos, in quibus versari vel ipsi cupimus, vel in quos ab aliis advocamur. Sui praesentandi causa visitationem facit adolescens, simulque adolevit, itemque puella; salutatum eunt advenae, et qui inierunt magistratum. Hae quidem aditiales sunt salutationes. Quas praecedunt postremae salutationes in eo loco, unde discessurus quis est. Eius loci salutandi praefecti sunt et illae familiae, quibuscum fuit commercium. Gratulandi causa ad notos homines accedimus spatio dierum octo postquam laeta nuntiata sunt. Prudenter accedendum est ad eos, quibus significaturus sis te illorum sociari dolori. In publico non facile aperienda doloris communio est. Qui non sunt ex familiaribus eius, qui acerbiorem casum dolet, se eius doloris participes significant per litteras. Postrema salutatione excepta, qui nos salutaverunt vicissim et ipsi a nobis invisendi sunt. Si quaeras, quo tempore salutes, usus fere habet, ut ab hora undecima usque ad tertiam decimam accedas. Ubi primum accesseris, ne manus diutius quam decem horae puncta. Si vir est accessurus, tradita visitationis cartula in vestibulo deponit pallium, sed cylindratum apicem et chirotecas in oecum salutationis i. e. in salutatorium ingrediens retinet. Hic nisi iussus est, non assidit, neque assidit stantibus feminis. Si sponda sedes est, haec concedenda feminis.

Invitationes maturae sunt. Invitatus quam primum vel accepturum spondeto,

² «Trattoria» quid? Num «tractatorium», quod est locus, in quo causae et aliae res aguntur? (I. F.)

vel non venturum se respondeto. Accedens primam saluta heram, tum herum, postea ex hospitibus quos noveris. Hospitum natu maximus signum dat discessus. Licet viris incomitatas feminas deducere domum, sed ita, ut, quum ventum sit ad earum domicilium, sine mora abeant.

Introductionum praexcepta sunt, ut viri inter se praesentent inclinantes corpora et pronuntiantes sine titulis nomina; sed feminis se et dignioribus personis per alios praesentant. Oportet praesentare virum feminae, minorem annis maiori, qui inferiore loco sunt, dignioribus, et nomina personarum celsarum, quae illis nota esse debeant, in his praesentationibus non enuntiantur.

Ingredientibus personis reverendis adolescentes a sedibus assurgunt, episcoporum et abbatum catholici osculantur annulos. Praesentati se consalutant. Facile adducimur, ut salutem feramus etiam ignotis hominibus quos invenimus in vestibulis domorum, in curribus ferriviariis, in expectatoriis, ad eam, ad quam ipsi accedimus mensam sedentes. Et si is, quocum incedimus praetereuntem salutat, nos una salutemus eum oportet.

Neque vero omnia urbanitatis praexcepta certis comprehendendi possunt regulis. Incidunt omnibus hominibus occasiones, ubi, quid deceat, quid minus, ipsi statuere debeat quodam innato sensu decori, et naturali iudicio examinare cogantur non ponderabilium quidem, sed non sine pondere eventuum varietates.

A. AVENARIUS.

Ad eligenda quae dubitationem afferunt, adhibere homines doctos debemus, vel etiam usu peritos, et quid eis de unoquoque officii genere placeat, exquirere.

CICERO.

ANNALES

Hispanicum discrimen.

Recognitis Italiae paribus iuribus de Mediterranei maris custodia contra Hispaniorum bolscevicarum offensiones, Anglia simul et Gallia eam invitarunt ad tripartitum pariter conventum in quo quaestio exterorum militum hinc inde in Hispania pugnantium excuteretur; Italicus vero legatus contra animadvertisit trium tantum nationum consensu perdifficile esse ad efficax quidquam statuendum; opportunius itaque Italics administris videri rem Londinensi caetui de non interventu definiendam relinqui; quod quidem factum est, Anglicis iterum consiliis ab Italia propositis, quae superiore mense iulio ad effectum perduci nequiverunt. En vero per diligenter Russia obnuntiationes intercessionesque suas renovat, diesque dicendo eximit, res in longum indefinite trahens, ne sibi auxilia omnis generis in Hispaniam transportanda validum fiat impedimentum. Efficere tamen non valuit ne Nationalistarum copiae victores ultro progrederentur, atque Gijon quoque urbe expugnata, Asturiam omnem regionem in suam redigerent potestatem, ubique ab hac usque crudeli oppressione perculso populo honorifice exceptae. Hispani locorum tyranni, magnam auri vim secum asportantes, turpi fugae suam committunt salutem, in Galliamque se recipiunt.

Iaponiae in Sinas incurso.

Nationum Societas Sinarum provocacione contra Iaponiam rata habita, Iaponiam vim Sinis attulisse declarat; quod vero non impedit quominus Iaponia suis rationibus insistens ultra procedat Sciansi et Sciantung regiones occupans. Maximum vero certamen circa Shangai urbem fit, quam hostes

terra marique caeloque misere pessum-dant.

His Sinarum rei publicae adversis fatis alia ex Mongolia accedere videntur, quae proprium et liberum imperium sibi appetit.

Anglia interim aliaeque Europae nationes ad conventum Bruxellis habendum spectant, qui operam suam interponat ut concordia inter duos populos restituatur.

Palaestina seditio.

In Palaestina Anglorum legati quum sibi persuasum habuerint atrocia facinora hic illic patrata ab Arabicae factionis principibus esse promota, in insulas Indici Oceani Seichelles quinque Supremi Araborum Consilii viros deportarunt, abrogaruntque civile religiosumque supremum magistratum Magni quem ipsorum lingua *Mufti* appellant; qui primum in Maumethanorum templum Hierosolymitanum *Omar* confudit, atque inde, aliena veste indutus, in Syriam, Beriti denique subsidens, ubi Araborum «Nationalistarum» factionem, Palaestinae divisioni ab Anglis propositae adversam, animose temperare pergit.

Motus itaque atque seditio, heu! non cruenta, in hac quoque orbis parte deflenda sunt.

Pactio inita Germanos inter et Belgas.

In miserandis hisce est tamen quod animum aliquantulum reficiat; pactionem dicimus amicitiae atque vis invicem nunquam facienda inter Germanos et Belgas initam.

POPLOCOLA.

Sub anni exitum, Socios rogamus qui nondum subnotationis pretium solverint, cito velint rationes suas nobiscum componere.

EX GERMANIA

Mussolinius apud Germanos locutus est.

Primus rerum Italicarum minister in Germaniam profectus ibique per complures dies moratus, a. d. 4 kal. octobres 1937 in campo Olympico Berolinensi notabilem orationem habuit, quae radiophonico apparatu dissipata ad aures totius mundi pervenit; totam illam orationem ex Germanico in Latinum hoc modo convertere conatus sum:

« Meus ad Germanos eorumque ducem adventus, sodales, haec oratio, quam nunc apud vos habiturus sum, ut ad memoriam utriusque nostri populi, sic etiam ad meam vitam magnum afferunt momentum. Significationes vero auribus admotae graviter me attigerunt. Neque tamen hic concursus eodem modo ponderari debet, quo conventus illi, qui inter rei publicae legatos virosque civiles alias fieri solent. Proinde nemo ex eo, quod hodie in Germania moror, cras me alio vecturum esse concludat. Ceterum non modo, quod caput sum Italorum regiminis, ad vos veni, sed quod caput eversionis gentilis ante omnia declaraturus sum, quam apertum ac firmum sit vinculum, quod cum vestra eversione intercedit. Licet decursus utriusque eversionis dispar fuerit, tamen finis, quem utraque gens affectavit et contigit, unus idemque est: unanimitas ac magnitudo populi.

Ad hoc *fascismus* aequo ac *socialismus nationalis* duo sunt animorum motus, unde illa in rebus gestis aequabilitas apud nationes nostras emanavit, quae eodem saeculo parique fortuna ad unitatem pervenerunt. Per causam mei in Germaniam itineris, ut supra commemoravi, clandestina consilia nequaquam concoquuntur, nedum hic a nobis quasi fila trahantur, ut Europa sic quoque satis secum discors amplius ad discordiam ducatur. Cum igitur sollemniter sanciamus quasi axem quandam Romam et Berolinum interiungentem non solum esse, sed etiam stabilitum esse, tamen nihil in ea re est, quod in ullam aliam rem publicam intendatur. Immo, sive *socialistae nationales* sumus sive *fascistae*, pacem volumnus semperque pro pace

agere parati erimus; scilicet pro vera et fructuosa pace, quae hoc habet, ut controversiae ex populis conviventibus natae non silentio transmittantur, sed re vera dirimantur. Ergo universo terrarum orbi, qui attento animo perquirit, quo hic occursus Berolinensis evasuris sit, in bellum an in pacem, et dux et ego magna voce respondemus: In pacem!

Sicut Italia quindecim iam annos fascismum complectens extrinsecus et intrinsecus novam sibi faciem induit, ita Germania eversione vestra confecta novum praebet vultum; novum dico, etiamsi ex summis et sempiternis traditionibus, quae cum necessitatibus horum temporum convenient, similiter atque in Italia formatur. Hanc speciem ac formam Germaniae novae invisiere mihi volenti fuit; qua spectata, maiorem in modum mihi nunc persuasi Germaniam ita renovatam propter firmitatem, iustum sui fiduciam, placitudinem, fundamentum atque columnen esse rerum in Europa gerendarum.

Sed causam non nullius inter nationes erroris ac diffidentiae in eo esse arbitror, quod viri, qui rationibus rei publicae provident, novam veritatem gliscentem ignorant. Cursus quidem vitae populorum aequo ac singulorum hominum nihil in se habet rigoris, neque in perpetuum stabilis est, sed assiduo in rationem cadit commutationis.

Itaque populum aliquem ex numeris quibusdam et narrationibus, vel potius ex litteris vianti aut quinquaginta annis ante editis metiri vitium est, quod fatale fieri potest. Quid? hoc ipsum adversus Italiam quotiens committitur! Siquidem eversiones populares Germaniae et Italiae melius essent cognitae, multae opinione praejudicatae caderent multaeque dissensiones ad irritum redigerentur.

Multa in rerum contemplatione nobis internos communia sunt. Namque socialistae nationales et fascistae non modo eosdem ubi vis terrarum habemus hostes, qui eidem arbitrio, id est « tertio globo internationali » famulantur, sed etiam de vita ac memoria rerum gestarum interpretanda multis partibus consentimus. Ut pauca exempla proferam, utrique voluntatem colimus quasi vigorem, qui vitam populorum dirigit eorumque rebus gerendis impulsus affert, ideoque « materialismum », qui dicitur historicus, eiusque similitudines politicas et philosophicas reiciimus. Utrique laborem eiusque species innumeram

biles tamquam pignora nobilitatis humanae laudando augemus; utrique denique in iuventute nitimus, quam ad disciplinam, ad fortitudinem, ad pervicaciam, ad patriae caritatem, ad commoditatem vitae contemnendam conformamus. Ut igitur imperium Romanum renatum ex opera novi ingenii in Italia vigentis effloruit, ita Germaniae regeneratio ad effectum perducta est vi animi vel, ut planius dicam, fide quadam, quam primum unus, deinde manus propugnatorum ac martyrum, tum minor populi pars, postremo populus universus profitebatur.

Huc accedit, ut Germania et Italia aequum ad autarchiam oeconomiam consilium persequantur. Nam, si qua gens libertate caret oeconomica, publica libertas ipsa in dubio posita est; atque etiam fieri potest, ut talis populus in magno vigore militari opprimatur circumsessione oeconomica. Quod periculum nobis proximum esse tum ipsum animadvertisimus, cum quinquaginta duae gentes, quae Genavam convernent, scelestas sanctiones oeconomics in Italianam decreverunt; illas dico sanctiones, quae omni acerbitate peractae tamen in cassum ceciderunt. Quid? Italia fascismo addicta nonne hac occasione data vim resistendi suam toti orbi terrarum demonstravit? Germanos omni modo pressos tamen sanctionibus adjunctos non fuisse numquam obliviscemur. Hic igitur fuit locus, unde primum consensus necessarius socialistarum nationalium Germaniae cum fascistis Italiae planissime in conspectum prodiit. Axis ille, quem nunc nemo non novit, autumno anni 1935 inter Berolinum Romamque interpositus ita tulit, ut accessio mutua utriusque nostri populi magis magisque processerit; quae res ad incrementum publicamque confirmationem pacis Europae magnifice valuit. Fascistis insuper sua propria ethica est, cuius fidem servare cogitant; quos mores mihi ipsi ingeneratos hoc uno verbo complectar: « Dilucide aperteque loqui, atque, si quem pro amico habes, una cum eo usque ad extremum proficiisci oportet ».

Omnia autem argumenta, quae ab adversariis nostris in aspectum proferuntur, caduca sunt. Nec in Germania nec in Italia dictatura est, sed vires sunt et instituta, quae populo inserviunt. Nullum porro in ulla orbis terrarum parte regimen tantopere consensum habet populi, quantum regimina Germaniae et Italiae; sunt igitur dominatus populares, quibus nullus homo

his temporibus cognovit maiores ac solidiores. Alibi est, ut sub praetextu iura humanitatis obtinendi civilis ratio vel opibus pecuniae hominumque deditissimorum vel auctoritate sodalitatum clandestinarum et circulorum civilium inter ipsos dimicantium regatur. At in Germania aut Italia fieri omnino non potest, ut vires privatae disciplinam rei publicae contingent. Haec communitas cogitandi, quae est inter Germanos Italosque, vulgo se ostendit in *bolscevismo* dimicando, hodierna forma tyrrannidis byzantiae et tristissimae, inaudito illo abusu credulitatis vulgi, regimine illo esuriali, cruento, servili. Quod genus degenerationis humanae, quae mendaciis alitur, fascistae bello confecto summa ope impugnaverunt, ac verbo quidem armisque impugnaverunt. Nam, nisi verba competit vel si res instantes ita postulant, arma capienda sunt. Sic etiam in Hispania rem gessimus, ubi milia fascistarum voluntariorum Italiae pro cultu Europae servando ceciderunt; pro cultu, qui renasci poterit, si gentes a falsis et mendacibus diis, qui Genavae et Moscoviae coluntur, animos averterint et ad lucidas ac veras doctrinas eversionis nostrae se converterint.

Sed finem dicendi faciam, sodales! Nos et vos extra fines patriae propagationem usitato modo non exercemus, ut assetatores acquiramus. In ipsa enim veritate satis inesse vigoris credimus, ut usquequa valeat et aliquando omnia devincat. Sic Europa ventura non propagatione nostra, sed ratione ac necessitate rerum cum fascismo conexa erit. Viginti autem anni sunt, cum dux vester magnus impulsus consurgendi multitudinibus iniecit, qui postea clamor totius Germanorum populi evasit: « Germania, expergiscere! ». Et experrecta est Germania. Tertium adest imperium. Equidem ignoro, num Europa experrectura sit et quando hoc futurum sit, id quod ex conventu factionis Norimbergensi audivimus. Vires enim clandestinae, nobis non ignotae, bellum civile ad incendium mundanum convertere moliuntur. Quae cum ita sint, res est magni discriminis utrumque nostrum populum magnum, cuius multitudo miles centies et quinquagies centena milia capitum explens amplius accrescit, unico ac stabili consortio coniunctum esse. Eius rei testis est omnibus gentibus hic tam giganteus congressus ».

Ser. Hindenburgi.

H. LIS.

VARIA

Non credendum esse exsilibus facile.¹

Non abs re mihi facere videor, si ostendam hoc loco, quantum intersit in rebus gerendis, ne fides exsilibus semper habeatur, praesertim quum videamus eorum operas commerciaque a viris principibus persaepe usurpanda esse. Huius rei memorabile exstat apud Livium exemplum, libro ab Urbe condita octavo. Quum enim Alexander Magnus in Asiam traieisset, affinis ipsius atque avunculus Alexander, Epri rex, a Tarentinis vocatus, in Itiam venit; habebatque iam secum ducentos Lucanorum exsules, quos fidos sibi credebat usque adeo, ut eorum opera capi Lucanorum universam provinciam posse speraret. Sed illi cum fortuna fidem mutabilem gententes, postquam regem a Lucanis clades aliquot accepisse cernerent, nuntiis ad suos missis pacti sunt, si iis redditus in patriam permitteretur, se Alexandrum, aut vivum aut mortuum, in ipsorum potestatem tradituros; arreptaque occasione, illum Acherronta fluvium transeuntem, ex insidiis adorti sunt et veru transfixerunt. Id igitur documento nobis esse debet, ut agnoscamus, quam parvi facienda sint huiusmodi hominum, qui patria pulsi sunt, promissiones. Num si fortuna aliam quamquam occasionem iis offerat in patriam redeundi, nequaquam fidem servabunt, quicquid tamen tibi promiserint. Nam qui patriae desiderio tenentur, multa tibi promittent, ut illos restituas, multa etiam praestare se posse putant, sed plura etiam adiungunt; ex quibus omnibus si tu rei bene gerendae permoveri te sinas, facile eo deduceris, ut ingenti sumptu tuam ipsius ruinam intitumque expetas.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Quod si praecedenti exemplo alia adiungere cupias, Themistoclem unum intuearis. Is enim quum ab Atheniensibus defecisset et confugisset in Asiam ad Xersem, eum multis promissionibus eo impulit, ut adversus Graeciam expeditionem susciperet; sed quum res ei minus prospere succederent, videretque se regi ea non posse praestare quae promisisset, veneno mortem sibi procuravit, ne vel regi ingratus videretur, vel patriae auctor tantae cladis exsisteret. Quod si igitur Themistocles, tantus vir, plura regi promisit, quam praestare aut voluerit, aut potuerit, quid de certis exsilibus sentiendum putamus, qui Themistocleae virtuti nihil simile habent? Itaque non eo facile veniendum fuerit viro principi, aut Reipublicae moderatoribus, ut promissionibus exsulum promoteantur ad bellum suscipiendum, quod huiusmodi expeditiones raro felices eventus habere soleant.

Camelus.

Reparandus Camelus ab Iove petebat, ut cornibus armaretur. Cuius ille, stolidis prencibus irrisis, etiam aures mutilavit, ut non solum inermis, sed etiam deformis de cetero esset.

Docet fabula, ineptis precibus Deum non esse fatigandum.

Iocosa.

Mater Tuccio:

— Ne panem in via iacias; cogita quot pueri pane careant!

TUCCIO: — Atqui contenti erunt si meum invenerint!

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[20]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

AT. Affectum fluor facit me conticescere;
Animus abhorret ab istoc officio. Si rationibus
Vostris stuporem nostris additis capitibus,
Linguas simul nostras silere cogitis; sic omnia
Recte esse arbitramini. Ut cunque ex imo pectore
Maternus exclamat sensus, virorum animi tamen
Nihil resonant. Heu, misereat te mei, Regule!
RE. Atilia, coniunx mea, fac, ut te digna sis;
Relinque me et meos dolores minue; vale.
AT. Nondum volo. Gnatos adduxi; te videre cupiunt.
Istuc tibi negare non licet, paternum hoc officium.
RE. Regas velim gradus gnatorum in patris vestigio.
Sine vitio. — AT. Hoc non faciam. — RE. Numquid agis?
AT. In exitust mea, crede, peregrinatio. — RE. Videre gnatos volo.
AT. Illos videre tu cupis? Venite, sultis, filii.

SCENA IV

MUCIUS, REGULUS, SERANIUS, ATILIA.

MU. Tune es, pater mi? — RE. Heu gnat! miserrumi!
Di vos custodian, quom iam ego non potero.
SE. Eccillum me Seranium. — RE. Novi te, sed quantus factus es!
AT. Maturust iam togae. — RE. Illa semper Romanum animum contegat.
SE. Istunc animum manibus patris accipere cupio.
RE. Sed hoc dii nolunt. — SE. Ab annis iam hoc desidero.
MU. O da sis hoc isti; nam saepe iam dixit mihi
Se praegestire gaudio. Noli hoc ipsius gaudium
Corrumper. Nam te bonum esse dicit Publius.
RE. Hoc ferre non queo. — SE. Tace, mi frater; pater it in lacrumas.
AT. Iam istuc hostis autumat, non filius.
RE. Quod has mihi elicuit lacrumas, non est commotio
Muliebris, verum gaudium patris maximum.
SE. Tu ploras gaudio? — RE. Pax! nemo istuc impedit gaudium.
Veni huc, Serani. — AT. Sentio mihi cor scindier.
MU. Ne plora, mi pater. — SE. Heu, noli nos relinquere!
RE. O patria, multum tibi dono. — AT. Nullane est liberatio?